

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Theses Historico-Philologicas Consensu Inclytis  
Philosophorum Collegii Reg. Pomeranorum Academiæ  
Gryphicæ**


**Träg°ard, Elias**

**Gryphiswaldiæ, [MDCCLXX?]**

**VD18 13193120**

Thes. I. Linguam, seu orationem aequa ac rationem, primo homini fuisse  
concreatam, ex historia creationis Mosaica Gen. II. certo concludere  
possumus.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15772**



### Thef. I.

**L**inguam, seu orationem aequa ac rationem, primo homini fuisse concretam, ex historia creationis Mosaica Gen. II. certo concludere possumus.

Ut taceam, nullam probabilitate se commendantem adferri posse rationem, cur hominem, creaturarum in mundo visibili præstantissimum Deus crearet mutum, s. Auctor, cuius narrationi hoc in negotio fidere possumus, & sine qua omnia fere huc spectantia ignoramus, disertis declarat verbis v. 16. cit. cap. cum Adaino recens creato DEUM locutum fuisse primamque illi legem præscripsisse. Contraria opinio: Homines nimirum ipsos sibi primam excogitasse linguam, a veritate adeo videtur aliena, ut minime dubitem, quin false exhibaretur, nisi nunc iterum in usum venire inciperet, ne scilicet nova desint, vel potius, ut antiqua, quamvis saepius recocta, novitatis tamen quandam speciem præ se ferentia, quorundam palato sapient. Ex antiquis hanc nobis aperiunt sententiam HORATIUS (a), DIODORUS SICULUS (b), referens, *Hermetem*, qui apud Osirim Ægypti Regem in maximo ante omnes honore positus fuit, communem loquaciam articulatim distinxisse. Nec non ipse CICERO (c), his philoso-

\* 2

phiam

(a) Serm. Libr. I. Satyr. III.

(b) Biblioth. hist. L. I. C. 15. 16.

(c) Tusc. Quest. L. V.





phiam laudans: *O vitæ philosophia dux, o virtutis indagatrix, expugnatrix vitiorum, quia non modo nos, sed omnino vita hominum sine te non esse potuisset! Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti, tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum & vocum communione junxisti etc.* Quam belle hic præponuntur postera prius! ut sane mirum, qui sibi talia quisquam, etiamsi a revelatione meliora non edocitus, persuaderi patetur, in primis cum ipsæ profanarum gentium mythologiæ in sanioris de hac aliisque antiquissimis rebus notitiae vestigia incidendi occasionem præberent. Cum allatis tamen auctoribus & recentioribus quoque faciunt MAUPERTUIS (d), ROUSSEAU & alii. Isla loquelæ humanae, quod hic obiter tantum monere volo, primordia si probari possent, utique scripturam sermone priorem suisse concedendum foret, hocque concessio, primam scripturam signis rerum, seu hieroglyphicis, ut vocant, constitisse vix quisquam inficias iret. At, quantum mihi videre datum, falsum est prius, ergo etiam posterius.

## Th. II.

Verba s. Historici eod. Cap. v. 19. clare satis innunt, animalia a DEO creata ad Adamum adducta suisse, illis nomina ut imponeret. Hanc quoque cuiusvis denominationem ex ipsius natura desumptam suisse, ulla cum ratione negari nequit.

Novi quidem, alios aliud ex his verbis exsculpere velle. Sunt, qui putent, ideo animalium paria impulsu divino ad primum hominem accessisse, ut quid sibi adhuc deesset, nim. עוז בְּנֵגָדו auxilium commodum ipsi, animadverteret, quod quidem statuendi cohærentiam textus occasionem dare hand diffiteor. At, unius ejusdemque actionis rarissime unus tantum est scopus. Primarium vero hic suisse, ut nomina iis imponeret, in quæ dominaretur, contendeo, quem ipse quoque textus non obscure indicat verbis: לְרוֹאֹת מֵחַ וִקְרָא לוּ ad evidentum, quid vocaret illud. Jam, cum sermo hominum primus Deum agnosceret auctorem; id quod nec profanis absconditum omnino esse potuit, prout dixit PLATO, videri sibi eam naturam, quæ rebus nomina

(d) Histoire de l'Acad. Roy. des sciences & bell. lettr. Berlin 1754.

